



Universitätsbibliothek Paderborn

**Expositio Cavsarvm Quibus S. R. M. Sveciae bellum à
Rege Regnoque Daniae sibi illatum, etiam post Pacem
Roschildiae initam, continuare coacta fuit**

Coyet, Peter Julius

[S.I.], 1658

Altera Barsenii narratio, cum eodem negotio iterum Glückstadium esset missus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10534

mulad Dn. Ebersteinum directas, eò quod nesciverit Dn. Residens, ipsum
hodie heic esse. A meridie itaque Dn. Generalē Campi. Mareschallum adii
& præsente Dn. Colonello Lützovio aliisq; in eandem sententiam, ut apud
Dn. Cancellarium locutus sum, ubi hoc responsum obtinui, se ad narratio-
nem Schneidebachii jam dum mandasse, ut ambæ naves una cum impositis
mercibus ad tuorem custodiam in portum deducerentur, concessisse etiam
Dn. Crusensternio aliisque captivis, ut pro lubitu sibi in urbe hospitium
eligerent, & per dies aliquotib; permanerent, donec à S. R. M. Daniæ ad
literas quas ob istam rem scripsisset, responsum acciperet. Quod verò Carloffium ipsum attineret, cum ipsius expeditio nomine S. R. M. Daniæ su-
cepta & peracta sit, dubitare se, utrum arresto propterea gravari possit. Et
cum ego regererem, quod subditus & nobilis Suedicus esset, & commu-
nem præterea Hamburgi famam circumferri, Carloffium munimenta ista
Guineensia jam dum alii tradidisse, juxta vigorem verò Instrumenti Pacis
omnia restituenda, utique majorem Carloffii rationem habendam, ipsum
que diligenter custodiendum; Dominus Campi-Mareschallus Locumte-
nentem Bremerum ad se vocati jussit, eique injunxit, ut de Carloffio dili-
genter inquireret, & inventum statim intimaret. His peractis post debitam
gratiarum actionem die 11. Jun. G'ū. kstadio. discessi & eadem Hambür-
gum sum reversus, ubi quæ Domino Residenti orerenu exponueram, scri-
pto consignare justus sum. Hamburgi. 12. Jun. Anno 1658.

Georgius Barsenius
Capit. Hamburg. Secet.

Altera Barsenii narratio, cum eodem negotio iterum
Glückstadium esset missus.

Anno 1658. d. 13. Junii præviā iterum requisitione Domin. Residen-
tis Mölleris Ego & Libertus Wouters Glückstadii inter horam deci-
mam & undecimam pomeridianam S. R. M. Daniæ Campi-Mareschallum
Generalem Dominum Ebersteinum covenimus, eique inscriptas Creden-
tiales obtulimus, quibus resignatis perleatisque, præmissis præmittentis re-
censimus: Excell. Suæ in recenti memoria hærere, quid præterita die Jo-
vis, 10. hujus mensis, ob duas istas naves atque merces per Henricum Car-
loffium ex Guinea huc allatas actum & perfectum sit. Cum verò interea
temporis à fide dignis relatum fuerit, dictum Carloffium clam se subduxisse,
& credibile esse, ipsum maximam allati auti partem secum abutuisse; & non
solum S. R. M. Sueciæ in Guinea sita munimenta, prævia S. R. M. Daniæ
Commissione, à Carloffio occupata, sed & insuper omnia illinc ablata mo-
bilis, sive sint naves sive merces, virtute articuli XI. Pactorum Roschilden-
sium.

sum, S. R. M. & respectivè proprietariis restituenda jure veniant: orare
 nos officiosissimè, ut ante omnia, quæ in adductis navibus adhuc restarent
 merces diligenter annotarentur, Inventarii apographum communicaretur,
 & debita deinde restitutio fieret. Quandoquidem etiam Johannem Cor-
 nelis, profugi Carloffii Librarium sine dubio ejusdem arcana non laterent,
 omnino nec statum esse, ob evidentissimas S. R. M. Daniæ rationes & mo-
 menta, ipsius personam detineri & custodiri, præprimis quod nunc eru-
 pit, & à Dom. Crusensternio aliisque ex Guinea simul adductis affirmatum
 fuerit, Carloffium Castellis in Guinea occupatis impositum præsidium &
 Gubernatorem non Sac. Reg. Majest. Daniæ, sed sibi ipsi tantum juramen-
 to obstrinxisse & devinxisse. Insuper Nos petere, ut Dom. Crusensternio
 concedatur, quò tam Gottorpium ad Serenissimam Suam Celsitudinem
 Dominum Ducem Holstiaæ, quām postmodum ad Sacram Regiam Maj-
 estatem Sueciaæ, ubi quædam necessariò ipsi expedienda, abire queat, nec ul-
 terius heic retardetur. Ad hæc Domn. Campi Mareschallus reposuit; se
 quoque comperisse, Carloffium præterita die Mercurii 9. Junii, qoſ quam
 secum cœnasset, sub noctem aufugisse, & unum atq; alterum ex adductis
 navibus desumtum secum abstulisse. Postmodum Auditorem jussum esse,
 naves in portum ducere, & quæ ibi extarent merces annotare.. Velle se iti-
 dem ex Johanne Cornelis percipere, quid de Carloffio & ipsius fuga no-
 rum haberet. Du. Crusensternii personam se nunquam arresto subjecisse,
 sed cum ipfmet Eundem die 9. Junii in navi convenisset, facultatem ei
 concessisse in urbem sese conferendi, ita tamen ut per aliquot diesib⁹ per-
 maneret, donec literas Hafnia accepisset. Quo facto hac vice in nostrum
 diversorum discessimus. Verum enim vero cum à meridie nobis narratum
 esset, uni navium à Guinea adductarum cymbam esse applicatam, cui non
 solum feles Zibethi, sed & ebur imponerentur, nos iterum in domum Dn.
 Campi Mareschalli contulimus, illudque Eidem annunciarī fecimus: ubi
 per Auditorem nobis responsum fuit, S. Excell. concessisse, ut feles Zibe-
 thi qui in navibus ægre viverent, in terram quidem afferrentur, sed diligen-
 ter ibidem custodiendos. Ebur quod concernit, nautis illud esse proprium,
 quod auferri ipsi nequiret. Esse ultra novem millia librarum Eboris, juxta
 narratiæ Johannis Cornelis, quæ ad nautas non pertinuerent. Heic nos
 regessimus, feles Ser. Dn. Hollstiaæ Duci à Crusensternio fuisse emtos: Nau-
 tas vero, sub prætextu isto plurima, quasi sibi propria, auferre posse; petere
 nos in simul, ut omnia scripta ac testimonia, quæ Carloffii Librarius Johan-
 nes Cornelis tecum haberet, & naves atque mercs concernerent, diligen-
 tissime afftervarentur. Et quandoquidem dicatur, inesse adhuc navi ingen-
 tem quandam arcam obsignatam, petere nos, ut aperiatur, ibique reperta
 annotarentur, ut & totius Inventarii apographum nobis concedatur, quo-

N 3.

colla-

collationem possimus instituere , quid de mobilibus restituentis adhuc residuum foret. Ad quæ Auditor respondit , arcam istam apertum, inventa annotatum, & exempla Inventarii, prævio Dn. Campi-Mareschalli jussu, nobis Communicatum iri. Die Lunæ , qui erat decimus mensis Junii Crusensternius , Libertus Wouters & Ego dictum Auditorem Hennigium ab Eitzen accessimus, & multa de Carloffii profugi persona ut & negotiis, quæ tām heic quām in Guinea aggredi ausus fuisset , præfati, eundem postmodum rogavimus , velit haut gravatè Excellentiss. Dom. Campi- Mareschallum nostro nomine adire , ipsiusque sententiam ad quatuor hæcce puncta nobis referre , scilicet primò quid de Carloffii reductione nobis polliceri possemus : secundò ipsius servum Johannem Cornelis debito examini subjiciendum , & ex eo explorandum , quonam Carloffius cum ablatis discesserit, & ubi locorum jamjam latitaret : tertio Dn. Crusensternium non diutius heic remorandum, sed literis salvi passus Gotorpium usque instruendum : & quartò quid de postulata restitutione expectare deberemus. Quæ omnia Domino Campi-Mareschallo fideliter narraturum , quidque responsi obtinuerit significaturum Auditor nobis Ipospondit. Sed quoniam Domin. Gyldenlöwius interea Glückstadium accesserat , cui cum Dom. Ebeisteinio aliquid negotii intercedebat, ut sub vesperam demum Crempam abiret , tota res in diem Martis sequentem dilata fuit, ubi sāpē dictus Auditor , jussu Dom. Campi- Mareschalli, nositerum convenit, & additâ promissione de communicando Inventarii exemplo, ad quatuor postulata nostra ita reposuit ; & ad primum quidem, decretum esse, ut omnis impendatur opera , quō Carloffius reeducatur. Et eō minus dubium esse , cum Sac. Reg. Majest. Daniæ ipsi Salvum Conductum ad causam suam justificandam concesserit, necessariumque futurum sit , ut nosmet ipsi cautionem præstemus , ne Carloffius contra concessum Salvum Conductum extradi peteretur. Secundo Johannem Cornelis accuratori examini subjiciendum , ex eo que explorandum, quonam Carloffius discesserit , aut ubi hæreat. Quanquam contestus jam dum fuerit , interpositoque juramento confirmaturum promiserit, se de fuga Carloffi nihil omnino præscivisse. Ipsum clam omnibus nouis navis discessisse; se verò mane , postquam fugam istam animadvertisset, ferme Brunsbuttelium usque ipsi insecum esse, ubi eum quidem deprehendisset , sed jussus fuisset nautis dabitam mercedem numerare , & expectare, donec intra trium vel quatuor dierum spatum scriberet , ubinam hæceret. Tertio Crusensternium Glückstadii non detineri: ipsum suā sponte adventum tabellarii Haffniensis expectare voluisse: quo facto literas Salvi passus eidem nullatenus denegandas. Tandem quod restitutionem concerneret, cum maximi momenti sit , eo labore se jam occupari,

ut de



ut de omnibus & singulis ad S. R. M. Daniæ per tabellarium adhuc hodie
discellorum fideliter referet, & sperate se, intra octiduum, initium compu-
tationis à proxima die Veneris sumto, Regia mandata sibi mittenda: pete-
re interim, vellemus nos negotium isthac eo usque differre, certissimeque
credere, S. R. M. Daniæ initiam nuper pacem per omnia inviolabiliter ob-
servaturam, & quæ restitui pollicita esset, nos certò certius accepturos.
Postmodum cum Libertus Wouters & ego sæpe laudatum Dominum
Campi-ductorem Generalem valedicturi conveniremus, ipsem et eadem
coram repetiuit, cum promissimâ officiorum suorum oblatione &c.
Actum Glückstadii die 15. Jun. Anno 1658.

Lit. VV.

Testimonia quibus probatur, Carloffium milites
quos in Castello & Munitenis Guineæ reliquerat, sibi
tantum juramento obstrinxisse.

*Quia dum hæc typis exscribebantur ad manus non erant, alia occasio-
ne luci publicæ sistentur.*

Lit. XX.

S. R. M. Sueciæ ad Ser. R. Daniæ literæ, in quibus
conclusionem Tractatum, & satisfactionem damni
per Carloffium in Guineæ dati
urget.

Nos Carolus Gustavus, DEI gratia, &c.

Serenissime ac Potentissime Princeps, &c. Quanta animi propensione
satque desiderio, interveniente Legatorum nostrorum apud Majes-
statem Vestram commorantium opera, eò inclinaverimus, ut Roschildiæ
præterita hyeme conventa pacta, præfinito tempore plenariè executio-
ni mandarentur, ac ad finem perducerentur; nulli dubitamus quia Ma-
jestati Vestra à Nostris ad institutos jam Haffniæ Tractatus ordinatis
Commissariis humillimè narratum fuerit: præprimis quod ut amicuæ
vicinus certò Nobis persuaserimus, fore ut siquidem bona eorundem pars
optatum eventum consecuta jam dum fuerit, Majest. V. reliqua itidem
promotura sit, quod etiam oportunè efficiendi dari queant. Quoniam autem
non solum puncta quædam firmam & constantem utrorumq; Regnorum
securitatem ac tranquillitatem concernentia adhuc restant, verum etiam
plenariè edocti sumus, Condrectorem Henricum Carloffium cum No-
stris & subditorum nostrorum mercibus ac bonis, ex Africa venientem,
licet